

aberraverit, affectibus, odio, gratiæ, inimicitia aut etiam amicitia quicquam tribuerit, sed cuncta secundum Juris ordinem peregerit. Modò tamen isti Assessores fuerint *Idonei*, id est, Jurium non imperiti; sed in tantum scientia Judiciali instructi, ut intelligant, qua ratione testes debito modo oporteat examinare. Præterea debent etiam esse digni, qui in judicio sedeant; nam actus Judicialis non potest exerceri nisi in præsentia virorum habilium: cum in omni actu explicando requiratur agentis habilitas. Quæ in Judiciis Assessoribus præter Juris peritiam extenditur ad eorum vitam & morès, qui ita debent esse comparati, ut sint inculpati, id est, talibus vitiis & delictis se non commacularunt, ob quæ alios ipsi volunt judicare; scriba verò seu Actuarius adhibetur, ut is singula, quæ videt & audit, bona fide annotet, & suo Protocollo inferat.

II. Quid potissimum Judices & Assessores in examinandis testibus attendere teneantur? (1) *In Dictis*, an in dictis suis vacillet, & inconstans sit, & nunquid in substantia vel qualitatibus rei, vel etiam accidentibus à semetipso vel aliis discrepet? Plurimum namque in excutienda veritate & vox ipsa, & cognitionis subtilis diligentia affert, &c. *l. 10. §. 5. ff. de Question.* Etenim testis varius fidem non facit, cum sibi ipsi contradicat. Julius Clarus *l. 5. §. fin. question. 53. numer. 15. fol. 687.* quomodo enim fidem merebitur apud alios, qui à se ipso dissentit? Et quis ei credet, qui quod modò affirmavit, postea neget: vel vice versa, quod antea negavit, nunc incipiat affirmare. Gilhausen *ad h. artic. fol. 22.*

Antequam verò ad ulteriora digrediar, verbò saltem monendum, quisnam Testis dicatur (a) *Varius*, is nimirum, qui indirectè deponit contrarium ejus, quod antea dixerat: quamvis rectius loquendò is dicatur varius, qui per se & suo motu proprio dictum seu testimonium suum variat, & non idem, quod antea, dicit postea, & ita diversimodè deponit, nec causam diversitatis in respondendo reddere potest. (b) *Contrarius* est, qui à seipso directè dissentit, & contraria dicit, id est, talia, quæ inter se directò pugnant. Nellus *in Tract. de Testibus, num. 216. pag. 147. 148.* (c) *Vacillans*, dicitur autem testis vacillans, qui timendò, titubandò, & dubitando variè loquitur. Uti si quis primò dicit Unum: deinde dicit aliud; & tandem revertitur ad primum dictum. Tyndar. *part. 3. c. 7. num. 3. de Testibus pag. 222. 223.* Nellus *d. l.* Eò ipsò enim, quod testis

testis